

§. 1. Sane pro parte Venerabilis Fratris nostri Antonii Guillelmi moderni Archiepiscopi Urbinaten. exhibita Nobis nuper petitio continebat, quod alias et postquam fel. rec. Benedictus Papa XIII. Praedecessor noster per suas literas apostolicas tunc existentibus Capitulo et Canonicis Ecclesiae Urbinaten. ac dignitates in ea obtinentibus, ut ipsi tam in Dioecesi Urbinaten. absente vel praesente Archiepiscopo sive interveniente Legationis Urbinatensis S. R. C. praefatae Cardinali Legato de latere in Missis, Vesperis ac Laudibus solemniter decantandis ac etiam in processionibus, benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum et fontis baptismalis ac in reliquis ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra adhibentur paramenta, mitra aliisque indumentis et paramentis tantum ad instar Abbatum usum mitrae habentium uti libere et licite possent et valerent, apostolica auctoritate perpetuo concesserat et indulserat eisque ut in eorum armis et insigniis mitram apponi facere et addere etiam valerent licentiam et facultatem dicta Apostolica auctoritate tribuerat et impartitus fuerat bon. mem. Thomas Maria Marelli, dum viveret, primum Archiepiscopus Urbinaten. et deinde Imolen. Episcopus tempore, quo ipse dictae Ecclesiae Urbinaten. praesidebat, modum et tenorem dictarum literarum tam in illarum interpretatione quam in decernenda earum executione praeter eundo easdem literas, plura licet in eis non expressa continere et comprehendere declaravit in gravissimum dignitatis archiepiscopalis praejudicium.

§. 2. Qua propter, ubi primum dictus Antonius Archiepiscopus praefatae Ecclesiae Urbinaten. certo tunc expresso modo pastoris solatio destituta eadem Apostolica auctoritate in Archiepiscopum praefectus fuit, sublati

prius per eum nonnullis abusibus in celebratione divinorum officiorum inventis animum suum ad alios abusos, qui respiciebant usum Pontificalium aliarumque praerogativarum exercitium, quas tunc existentes Capitulum et Canonici dictae Ecclesiae ac dignitates in ea obtinentes sibi indebite arrogaverant, removendos convertit. Idcirco dilecto filio moderno dictae Ecclesiae praeposito significavit, quod ad iudicium Congregationis ejusdem S. R. C. Cardinalium super ritibus ecclesiasticis praepositorum deferri poterat, quatenam praerogativae dilectis quoque filiis Capitulo et Canonicis dictae Ecclesiae ac dignitates in ea obtinentibus praedictis vigore dicti indulti competere. Sed perspicuus ipse Antonius Archiepiscopus, quod Capitulum et Canonici ejusdem Ecclesiae ac dignitates in ea obtinentes praefati, moras nectendo, nil aliud cupiebant, quam in possessione praetensarum praerogativarum se confovere, censuit, pro muneris sui debito ac archiepiscopalis dignitatis defensione singula controversiarum capita in infrascriptis XIII dubiis disposita et inter partes concordata ac a dilecto similiter filio nostro Prospero s. Georgii ad velum aureum ejusdem S. R. C. Diacono Cardinali Columna de Sciarra nuncupato in controversia hujusmodi ponente subscripta eidem Congregationi proponere.

§. 3. Quorum dubiorum tenor est, qui sequitur, videlicet:

I.: *An dignitates et canonici Metropolitanae Ecclesiae Urbinaten. uti possint anulo, cruce pectorali cum gemmis, caligis, sandaliis et chyrothecis, praesertim nunc ornatis, in casu etc.?*

II.: *An eadem dignitates et canonici pontificaliter celebrantes uti*

queant faldistorio et quatenus negative, quomodo sedere deberent?

III.: *An faldistorium debeat esse coopertum oloserico coloris currentis seu simplici panno?*

IV.: *An uti valeant palmatoria seu bugia in pontificalibus et an in Missis lectis seu privatis?*

V.: *An liceat eisdem in missa pontificali populum salutare dicendo: Pax vobis, loco dicendi: Dominus vobiscum.*

VI.: *An post missas, vespas aut matutinum in pontificalibus celebratum possint ipsi solemnem dare Benedictionem dicendo: Sit nomen Domini benedictum, seu potius simplicem Benedictionem tantum post missam dicendo: Benedicat vos omnipotens Deus, cum unico seu cum trino signo crucis?*

VII.: *An dignitates et canonici in missis aut vespas in pontificalibus celebratis benedicendo populum cum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento dare possint trinam Benedictionem vel unicam tantum dare debeant?*

VIII.: *An eadem dignitates et canonici induti mitra aliisque paramentis ad instar abbatum, etiamsi missas aut vespas in pontificalibus non celebraverint, dare possint trinam Benedictionem?*

IX.: *An possint pontificaliter celebrare missas in Ecclesiis Monialium absque consensu Archiepiscopi?*

X.: *An in vestitionibus et velationibus monialium factis de commissione Archiepiscopi uti possint mitra?*

XI.: *An in Metropolitana Ecclesia uti possint mitra et pontificaliter celebrare in missis defunctorum?*

XII.: *An in insigniis et armis suae*

familiae appositis vel apponendis, in paramentis sacris aliisque rebus Ecclesiam concernentibus loco mitrae vel una cum ipsa pileum apponere valeant?

XIII.: *An dictae dignitates et canonici in processionibus Sanctissimi Corporis Christi incedere possint capite mitra cooperto?*

§. 4. Et Sacra eadem Congregatio, utraque parte scripto et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis rescribendum censuit:

Ad I.: Affirmative juxta modum; modus est, quod in missis solemniter decantandis solus Celebrans uti possit enunciatis indumentis auro non ornatis necnon anulo cum unica gemma et cruce pectorali sine gemmis et amplius.

Ad II.: Negative et sedere debeant in scamno cooperto tapete vel panno currentis coloris et amplius.

Ad III.: Provisum in secundo et amplius.

Ad IV.: Negative et amplius.

Ad V.: Negative et amplius.

Ad VI.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, cum unico signo et amplius.

Ad VII.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, cum unica tantum et amplius.

Ad VIII.: Negative et amplius.

Ad IX.: Negative et amplius.

Ad X.: Negative et amplius.

Ad XI.: Negative et amplius.

Ad XII.: Affirmative quoad mitram tantum et amplius.

Ad XIII.: Negative et amplius.

Et ita decrevit ac servari mandavit die 29. Januarii 1752.

M. Marefusus Sac. Rituum Congr. Secretarius.

§. 5. Cum autem, sicut eadem petitio subungebat ea, quae Sedis Apostolicae munimine roborantur, firmiter subsistant et exactius ab omnibus observari soleant, proptereaque dictus Antonius Archiepiscopus, ne adversus decretum et mandatum ab eadem Congregatione super praemissis, ut praefertur, edita quidquam unquam sub quovis praetextu a modernis et pro tempore existentibus Capitulo et Canonicis dictae Ecclesiae ac Dignitates in ea obtinentibus opponi seu illa impugnari aut eis contradici queat, plurimum cupiat, decretum et mandatum hujusmodi, pro majori illorum validitate et subsistentia ac inviolabili observantia, per Nos et sedem apostolicam praefatum perpetuo, ut infra, opportune approbati et confirmari: quare pro parte praedicti Antonii Archiepiscopi Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ei in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignemur.

§. 6. Nos igitur, qui dignum et rationi consonum arbitramur honestis votis et petitionibus hujusmodi annuere et abusus praedictos potius a vanitate quam a pietate ministrorum interductos removere sinceris desideramus affectibus, eidem Antonio Archiepiscopo specialem gratiam facere volentes illiusque zelum et pietatem debitam laudibus commendantes ipsumque a quibusvis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati decretum et mandatum hujusmodi ab eadem Con-

gregatione super praemissis, ut praefertur, edita, tamquam dignitatis archiepiscopalis respicientia ac ad abusus in Ecclesia Dei removendos tendentia apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus illisque perpetuae, inviolabilis et irrefragabilis Apostolicae firmitatis robor, vim et efficaciam adiecit illaque a praefatis modernis et pro tempore existentibus Capitulo et Canonicis dictae Ecclesiae ac dignitates in ea obtinentibus aliisque omnibus et singulis, ad quos nunc spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri, nec ab illorum observantia et adimplemento hujusmodi ullo unquam tempore resiliri aut recedi debere.

§. 7. Easdemque praesentes semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore ac nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, retractari aut in jus vel controversiam vocari, nec sub quibusvis similibus vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus per Nos et Sedem Apostolicam praedictam sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam motu proprio factis et faciendis comprehendere vel confundi, sed semper ab illis excipi et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per praefatum Antonium Archiepiscopum et successores suos dictae Ecclesiae Urbinate. praesules pro tempore existentes, quomodocumque eligendos, concessas fore et esse suosque plenarios effectus fortiri et obtinere.

Constitut. Bened. XIV. 28. Februar. 1752.

(Bull. r. t. XVIII. p. 261.)

Clemens PP. XIV.

(Arimini.)

Nos Capitulum Cathedralis Ecclesiae Arminis speciali gratia prosequi volentes supplicationibus inclinati, Vobis dilecti filii, Praeposito, Archidiacono et Capitulo vestrisque successoribus, ut in diebus festis infra annum solemniore, nempe: In Nativ. Dom., Resurrect. ac Pentec. cum duobus sequentibus resp. diebus, in festis Circumcis., Epiph., Ascens. et SS. Corp. Chr., in fer. 5. coenae D., fer. 6. Parasce. et Sabb. s., Dominica in albis et SS. Trinitatis, in festivit. Conceptionis, Nativ., Annunciat., Purif. et Assumpt. B. V. M., omnium SSrum, Nativ. s. Joannis B., ss. Ap. Petri et Pauli, s. Gaudentii ep. et m. et s. Columbae v. et m., in die anniv. dedicat. vestrae Cathedr. ac in commemor. omn. fid. def., dummodo in iisdem diebus Episcopus sol. et pontif. celebret, sicuti etiam aliis diebus, in quibus episcopus aequae sol. et pontif. celebrare voluerit et canonici juxta praescriptum Caer. Ep. s. paramenta assumere debeant, singuli vestrum vestrique successores in vesp. et missis sol. decantandis necnon in processionibus seu aliis hujusmodi functionibus, in quibus s. adhibentur paramenta, tam in dicta Cathedr. quam in aliis ejusdem civitatis et suburbiorum ejus ecclesiis, in quibus ad Sacra sol. peragenda tam Episcopus quam Capitulum collegialiter accedere consueverint vel in futurum contingeret, mitra simpl. ex tela linea (praesente etiam S. R. C. Cardinali et de latere necnon provinciae Romandiolae Legato) uti libere et licite possitis et valeatis,

tenore praesentium perpetuo concedimus et indulgemus.

Quodsi Episcopus in enunciatis festivitibus absens fuerit vel praesens non celebret, sicut etiam in process. litan. majorum et minorum, quas idem Episcopus per se ipsum non peragit, dignitati seu canonico tantum hujusmodi functiones peragenti, ut *indumenta pontif. s. actionibus resp. convenientia, nempe: mitram simpl. ex tela aurea, absente Episcopo, ex tela vero linea, praes. Episcopo vel S. R. C. Cardinale, crucem pectoralem sine gemmis, anulum cum unica gemma, sandalia et caligas ex holoserico, chirothecas, tunicellam et dalmaticam necnon faldistorium ligneum holoserico currentis coloris non autem ex tela aurea vel argentea cooperatum et ministrum de candela seu palmatoria inservientem* habere licite et libere possit et valeat tenore praesentium concedimus caeteris Canonicis usu mitrae, quotiescumque Episcopus pontif. per se ipsum non celebret et s. paramenta ab ipsis assumi non debeant, penitus interdicto.

Praeterea contingere cum possit, ut festum aliquod ultra supra expressa in Cath. vel in aliis ejusd. civitatis et suburbiorum ecclesiis, in quibus vel praesente vel absente Episcopo Capitulum colleg. conveniat, peragatur, dignitati seu canonico in missa et vesp. sive etiam process. celebrantis munus explenti pariter indulgemus, ut mitra et resp. convenientibus indumentis pontif. supra enunciatis uti possit, dummodo licentiam singulis vicibus ab Episcopo obtinuerit.

In exequiis vero def., in quibus juxta pontif. rom. p. III. tit. 2. de officio, quod post missam sol. pro def. agitur,

et Caer. Ep. I. II. c. II. dispositionem conveniens est, ut fiant absolutiones tam ab ipso Episcopo celebrante quam ab aliis quatuor Episcopis vel Praelatis, si adsint, vel in defectum Episcoporum a 4 primis dignitatibus vel canonicis, hujusmodi quatuor dignitates vel canonici absolventes in actu tantum absolutionum praedictarum mitra simili uti possint, facultatem tribuimus.

Inhaerentes autem S. R. C. decreto die 29. Jan. 1751. edito volumus ac districte praecipiendo mandamus, ne dignitas aut canonicus celebrans praesumat ullo modo vel pontif. indumentis ad altare aut in choro indui vel populum trina bened. benedicere vel cum formula episc. „Pax vobis“ salutare vel pastorali baculo uti.

Nullus vero sive canonicus sive dignitas in processione ss. Corp. Chr. missam in capite gestare aut mitra in aliis praeterquam in supradictis collegialibus functionibus uti unquam valeat. Insuper vobis singulis vestrumque successoribus, ut in propriis armis et insigniis mitram sine pileo apponi facere et addere possitis, licentiam impertimur.

Non obstantibus quibuscumque etc.

Romae die 16. Oct. 1771.

(Bull. r. Continuatio t. IV. p. 377. Ed. Rom. 1841.)

Ad dubium: Quid permissum, quid vetitum sit dignitatibus et canonicis Metropolitanae Baren. ex Apostolica concessione tam in civitate quam in dioecesi, absente etiam pro tempore existente Archiepiscopo in missis, vespers, laudibus et horis canonicis solemniter decantandis ac etiam in processionibus sive supplicationibus, benedictionibus candelarum cinerum, palmarum et fontis baptismalis ac reliquis ecclesiasticis func-

tionibus, pontificalibus insigniis alisque indumentis et paramentis, in omnibus et per omnia ad instar aliorum Capitulorum et Canonicorum, qui eodem fruuntur speciali Apostolico indultu, uti licite et libere valeant!

Et Emi P. S. eidem C. praepositi respondendum censuerunt, ut infra, videlicet:

„Jam alias fuisse decisum, quid permissum, quid vetitum sit dignitatibus et canonicis, qui apostolico gaudent privilegio, prout in dubio expressum est, et dentur decreta in Panormitana 22. Apr. 1684. et Urbinaten. 29. Jan. 1752.“

Et ita responderunt et censuerunt die 20. Apr. 1822. N. 4585 ad 1.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Decet quammaxime, ut celebriores Cath. Ecclesiae ac potissimum quae metropolitico jure gaudent, honoribus et privilegiis cumulentur ac extrinseco etiam apparatu ab aliis distinguantur. Consulere volens earumdem splendori apostolica Sedes sacros quoque post antistitem primi ordinis divini cultus ministros, quos dignitates et canonicos dicimus, nonnullis augere solet praerogativis ac honorificis donare Insigniis. Plurimum haec conferunt ad conciliandam Ecclesiae venerationem et sacris functionibus decus et ornamentum. Verum privilegia hujusmodi certos inter confines continentur, quos vel falsis interpretationibus vel arbitrariis illationibus et extensionibus a mente concedentis alienis praetergredi nefas est. Quod si fiat, et utinam non frequenter, ac alicubi dignitates et canonicos praeter concessos alios sibi indebitos honores usurpasse delatum sit. Apostolica Sedes sollicita est, ut qui invaluere abusus, corrigantur et eliminentur, ac opportunis remediis pro-

videatur, ne in posterum iterum prodeant aut alii noviter exoriantur. Idcirco multa digna est commendatione religio et vigilantia Episcoporum, qui, dum privilegia suis concessa Capitulis tuentur, simul curant, ne quid fiat praeter vel contra terminos concessionis vel quod non sit sufficienter expressum. Non enim in privatorum arbitrio relinquendum id declarare, quod forte obscurum est, sed in dubio facilis est recursus ad Sacras C., quarum est jus dicere et pro diversitate rerum quaestiones solvere. Id probe intelligens Baren. Antistes, ne a suae Metropolitanae Ecclesiae Capitulo hujusmodi privilegiis condecorato quidquam fieri contingat, quod praescriptis regulis adversetur, indebitas sibi honorificentias asserendo, ac si essent in privilegio concessae, S. C. rogavit, ut declarare dignaretur, quid per indulta insignia, quid per pontificalium usum permissum sit, quid vetitum. Generali huic quaesito ut satisfaceret S. C., quin novum Decretum conderet, alia potius jam pridem edita servari mandavit, in quibus opportune declaraverat, quid in similibus quaestionibus licitum esset, quid vero illicitum; ac rationem praecipue habendum esse sancivit bini decreti in Panormitana*) 22. Apr. 1684 et in Urbinaten. 28. Febr. 1752.***) Etenim dum conceduntur insignia pontificalia ac etiam, expressis verbis, Pontificalium usus, non ea omnia indulta intelligi debent, quae ob ordinis dignitatem solis de jure scripto competunt Episcopis. Abbates, etiamsi jurisdictione fruuntur et subditos habeant, conformari tenentur generalibus decretis ab Alexandro VII. confirmatis et jussu Benedicti XIV. iterum editis, adjecta epistola encyclica ad omnes locorum

*) Vd. hoc decret. infra.

**) Hoc decretum vd. supra in Constit. Benedicti XIV. inclusum p. 627.

Ordinarios, quibus committitur exacta eorumdem decretorum observantia. Neque licet a regulis praescriptis discedere, nisi quid insuper uni vel alteri specialiter fuerit indultum. Quod autem permissum non est abbatibus, multo minus licitum erit dignitatibus, quibus non nisi ad honorem et ad augendum splendorem Ecclesiae, cui inserviunt, intra arctiores fines privilegia tribuuntur. Quod si per errorem vel per arbitrariam extensionem usus invaluerit, praeter vel contra praescripta in indultu, abroganda omnino est inducta consuetudo cunctaque ad formam indulti restituenda veluti declaratum fuit a S. R. C. solemniter decreto, pontificia auctoritate probato et apostolicis litteris in forma brevis confirmato in Urbinaten., licet rationes urgerent, aliquo modo coonestandi, quae per excessum fieri consueverant. Quippe Archiepiscopus Urbini alter ex executoribus impertitae gratiae Benedicti XIII. suae Metropolitanae Capitulo, utendi pontificalibus Insigniis, declaraverat vigore apostolici Indulti, Dignitates et Canonicos posse uti *faldistorio, presbytero assistente, palmatoria etiam in missis privatis, non praesente tamen S. R. C. Cardinali vel Archiepiscopo, benedictionum cum trino crucis signo elargiri in functionibus*. Hoc autem exequutoriale Archiepiscopi decretum in omni sua extensione obtinuit ab anno 1729 ad 1752.; nihilominus, non obstante hujusmodi pacifica possessione, excitatis dubiis a novo Archiepiscopo, S. C. eliminanda decrevit, quae inducta fuerant praeter vel contra firmam apostolici indulti declarando: permissum fuisse dumtaxat *in Missis solemniter decantandis uti pontificalibus indumentis, nempe caligis, sandaliis et chirothecis non ornatis auro, anulo cum unica gemma, cruce pectorali sine gemmis, in re-*

liquis non licere uti faldistorio et palmatoria. nec salutare populum in Missis pontificalibus dicendo: Pax vobis loco: Dominus vobiscum, aut dare trinam Benedictionem, pontificaliter celebrare in Ecclesiis Monialium, absque consensu Archiepiscopi, uti mitra in vestitionibus peragendis de commissione Archiepiscopi, celebrare cum indumentis pontificalibus missas defunctorum et incedere capite mitra cooperto in processione ss. Corporis Christi. Atqui privilegium, quo gaudet Barensis Capitulum, generalibus conceptum est verbis neque ab illo differt insignioribus aliis Capitulis concessio: poterunt utique illius dignitates et Canonici tam in civitate quam in dioecesi, etiam absente pro tempore Archiepiscopo, in missis, vesperis, laudibus et horis canonicis solemniter decantandis ac etiam in processionibus, benedictionibus candelarum, cinerum, fontis baptismalis et aliis ecclesiasticis functionibus pontificalibus Insigniis aliisque indumentis uti ad instar aliorum Capitulorum et Canoniorum, qui simili perfruuntur indultu, non autem aliis honorificis praerogativis nisi fuerint specialiter, expressim, nominatim concessae. Privilegia siquidem id tantum permittunt, quod liberaliter habent expressum: id praecipue obtinet in subjecta materia, nam, ut verbis utar *Glossae in cap. Abbates verb. Quod si Papa de privilegiis in 6.*, istud privilegium tendit in diminutionem episcopalis dignitatis, ideo stricte debet interpretari, ut minus laedat. Laederet tamen, si via daretur interpretationibus et extensionibus; quamobrem, quae praeter vel contra expressum in privilegio inducta fuerant in Metropolitana Urbini S. C. Decreto a *Benedicto XIV.* confirmato fuerunt reprobata et vetita, privilegiumque ad tramites juris redactum. Responsum

autem S. C. quoad Barensis Capitulum haberi potest, ac debet tamquam regula generalis omnino servanda in aliis Cath. Ecclesiis, quae simili gaudent privilegio. Nam sub ea generica formula indulta dumtaxat censenda sunt pontificalia insignia, non pro arbitrio et ad placitum, sed in solemnioribus quibusdam diebus et functionibus adhibenda, in quibus vel Episcopus pontificaliter celebrat vel processiones aliave solemnia peraguntur, in quibus, juxta Ecclesiae ritum et libri caeremonialis dispositionem, Dignitates et Canonici, depositis choralibus indumentis, s. vestes sumere debent. Soiscitari quis posset, quoties quibusve diebus pontificalia peragere sit privilegio permissum ac insuper, qui in iisdem modus servandus. Nulla quaestio de modo, quia huic satis provisum videtur per bina laudata decreta in *Panormitana et Urbinaten.*; nihil tamen positiva lege definitum est de diebus in quibus Dignitates vel Canonici queunt pontificaliter celebrare: optandum vero, ut id a S. R. C. tandem definiatur, ne quoties libuerit, id fieri per abusum contingat. Non iisdem arbitror plus concessum, quam per decreta generalia *Alexandri VII.* Abbatibus aliisque praelatis Episcopo inferioribus competere declaratum fuit. His data facultas ultra tres vices per annum non extendetur, nisi alio speciali indultu se tueantur. Hanc tamen regulam stricte a Dignatibus et Canonicis teneri haud posse non diffiteor, quum non unus dumtaxat indultu gaudeat, ut Abbas est, sed integrum corpus eo fruatur, solemniores missae per turnum distribuuntur, servato ordine dignitatis vel antianitatis, praeter illas, quae celebrari debent vice Episcopi vel nolentis vel impediti a prima dignitate et, hac impedita, ab alia, quae immediate sequitur. Nihilominus op-

portunum esset certum praefinire numerum diesque designare, in quibus Pontificalia licent; secus irripere abusus posset cantandi Missam in Pontificalibus singulis diebus festivis, in quibus celebrat Dignitas vel Canonicus cum ministris paratis, quod esset contra mentem concedentis. Dies autem permissi esse possent, in quibus Dignitas vel Canonicus celebrat vice Episcopi, eo praesente vel absente, aut etiam, in quibus juxta dispositionem Caeremonialis, Episcopus in Pontificalibus assistit, et ab aliqua Dignitate ordine successivo vel seniori Canonico Sacrum solenne conficiendum est. Censerem quoque privilegium obtinere posse extra Cathedralium in Ecclesiis eidem immediate subjectis, recurrente Dedicationis Anniversario vel Titularis Festo, dummodo Capitulum intersit. Super his tamen aliisque regulis, quae ad abusus eliminandos dari possunt, plura non eloquar, quum S. C. iudicium exspectandum sit.

DECRETUM.

Ex Romanorum Pontificum indulgentia certa quaedam illustria honoris insignia Collegiis Canonicorum vel a priscis temporibus adtribui consuevere, quibus et Ordinis majestas commendaretur magis et ipsa Sacrorum procuratio splendidiori apparatu ad populorum animos in divinae rei venerationem impensius comparandos effulgeret. Ast cum ea sit rerum humanarum conditio, ut, quae providentissime constituta primum fuere, pravo deinceps usu atque a concedentium voluntate plane absono infelicitate pervertantur, id et de canonicalibus privilegiis ut plurimum contingere, graves undique invalescunt quaerelae hominum et auctoritate et sapientia praestantium. Nedum enim modus pontificio diplomate praestitutus vio-

lari conspicitur, sed id crebro honoris ac privilegii usurpari, nulla habita locorum, actuum personarumque ratione, quod ex primoribus ex ecclesiastica Hierarchia datum dignoscitur.

Tanto huic malo convellendo haud semel adlaboravit S. Rit. Congregatio, quae ad rectam rerum sacrarum actionem ordinandam est praeposita: atque idcirco, quod praecipuum abusuum id genus caput est, privilegium Pontificalium Collegiis Canonicorum insignioribus libenter collatum statis quibusdam conditionibus moderandum curavit, praesertim in Panormitana die 22. Aprilis 1684 et in Urbinaten. die 29. Januarii 1752. (*Vd. p. 627.*)

Novis tamen et deterioribus adhuc percrebescens adversus haec instituta consuetudinibus nonnullisque dubiis nuper delatis super usu Pontificalium in Metropolitana Ecclesia Baren., *) placuit SSmo Domino Nostro Pio Papae Septimo rem universam eidem S. Congregationi discutiendam demandare, quae, exquisita prius sententia Sacrae Congregationis Caeremonialis Secretarii itemque Sedis apostolicae Caeremoniarum Magistri cunctisque rationum momentis accurate diligenterque perpensis edendum censuit decretum, quo Pontificalium privilegia declarantur certisque legibus ad Ritualium praescriptionum normam coerceantur.

Ejus porro Decreti incip.: „*Decet Romanos Pontifices*“ articuli sunt, qui sequuntur:

1) Sacra peragere ritu pontificali de jure inhaeret dumtaxat episcopali dignitati.

2) Praelati Episcopo inferiores pontificaliter celebrant ex privilegio, sed ornatu moderatori statutis tantum

*) *Vd. pag. 632.*

diebus, in propriis Ecclesiis ab episcopali jurisdictione exemptis et tenentur in reliquis omnibus adamussim servare generalia decreta Alex. VII. a Benedicto XIV. confirmata.

3) In Ecclesiis non exemptis ventantur iidem Pontificalia exercere, etiamsi intercedat expressa Ordinarii loci licentia.

4) Dignitates, Canonici, Rectores Ecclesiarum quocumque nomine insignium prohibentur ritus et caeremonias pro Episcopis et Praelatis inferioribus designatas in sacris peragendis adhibere aut ornatum aliquem pontificalem induere absque speciali apostolicae Sedis privilegio.

5) Quodcumque privilegium ad augendum Insignium quarundam Ecclesiarum splendorem ab apostolica Sede Dignitatibus, Canonicis, Rectoribus aut alio quocumque nomine nuncupatis concessum, utpote laesivum dignitati episcopali, de jure strictissime est interpretandum. Quamobrem nil aliud concessum intelligendum est, nisi illud, quod est specialim expressum, neque ex indulto uno alterove privilegio trahi potest consequentia ad alia, quae singillatim descripta non fuerint.

6) Nec tamen, posito privilegio, omnia omnibus aequae competunt, sed discrimine est opus inter Celebrantem et Assistentes cum Insigniis pontificalibus.

7) Nam Celebranti quaedam competere possunt pontificalia Insignia, non item Assistentibus, dum Dignitates, Canonici, Rectores etc. sacra sumere debent Indumenta.

8) *Sub generico ornamentorum pontificalium nomine*, quae ex privilegio apostolica Sedes insignioribus Capitulis quandoque concedit, intelliguntur dum-

taxat ex pluries decisis a Sacra Congregatione: *caligae, sandalia non auro nec argento ornata, sericae item chirothecae, Dalmatica, Tunicella, Anulus cum unica gemma, Crux pectoralis sine gemma, Mitra simplex ex tela alba cum sericis laciniis rubri coloris.*

9) Hisce omnibus uti poterit solummodo Dignitas aut Rector solemniter celebrans, nisi forte privilegium non omnia haec sed aliqua dumtaxat Insignia permittat.

10) Qui vero in Missa solemniter Diaconum et Subdiaconum agunt, etiamsi sint Dignitates, Canonici, nec Mitram nec ullum aliud pontificale indumentum nec palmatoriam, si illius privilegio polleant, ad Evangelium et ad Epistolam adhibere poterunt.

11) Dignitatibus, Canonicis, Rectoribus etc. Missam cum Insigniis pontificalibus solemniter celebrare liceat iis dumtaxat diebus, in quibus celebrant vice Episcopi absentis vel impediti vel vita functi aut in quibus Episcopus assistit vel assistere deberet cum Pluviali et Mitra; in reliquis diebus, etiamsi solemnibus, celebrant more solito.

12) In Ecclesiis Civitatis et Diocesis cum Insigniis pontificalibus celebrare ipsis non liceat, nisi in majoribus solemnitatibus, assentiente et assistente Capitulo.

13) Nunquam vero iisdem utantur in Missis pro defunctis, licet Episcopus assistat cum Pluviali et Mitra, sed celebrent more solito.

14) Si Dignitas vel Canonicus etc. ab Episcopo designetur pro admittenda aliqua puella ad religiosum habitum vel Novitia, expleto tyrocinio, ad solemnem professionem, pontificalibus Insigniis uti nequeat, nisi de expressa licentia, qua obtenta iis tantummodo utatur, quae actioni conveniunt.

15) Cum pontificalibus Indumentis Celebrans nec faldistorio uti potest, sed sedere debet in samno cooperto tapete vel panno coloris, qui officio diei respondeat.

16) Nequit praeterea tam in solemniter quam in Missa privata sacras vestes sumere ex altari, uti canone, Palmatoria, Presbytero assistente, salutare populum cum *Ÿ.*: *Pax Vobis* loco *Ÿ.*: *Dominus Vobiscum* aut trinam dare Benedictionem post Missam vel cum Sacramento; et si quae sunt alia, quae solis competunt de jure Episcopis et ex privilegio Praelatis inferioribus, dum his Pontificalia peragere, stalis diebus concessum est.

17) Dignitates, Canonici, Rectores, etc., quando parati assistunt Episcopo pontificaliter celebranti, Mitram solummodo adhibere possunt, quam pariter deferre poterunt sacris Indumentis videlicet: Pluviali, Casula vel Dalmatica amicti, in Processionibus SSmi Corporis Christi, Benedictionibus Candelarum, Cinerum, Palmarum, etiamsi has functiones peragat Dignitas vel Canonicus loco et vice Episcopi absentis impediti aut vita functi.

18) Assistentes Episcopo tam in altari quam in cathedra, quando ministrant aut cum eo operantur, stare debent detectis capitibus.

19) Solemniter celebrantes dum Episcopus sacra assumit indumenta aut solum ascendit stent sine Mitra.

20) Non licet eis uti pulvino sub genibus, Episcopo praesertim assistente.

21) Non adhibeatur Acolythus ad tenendam Mitram cum holoserico velo e collo pendente, nisi pro Dignitate, Canonico, Rectore etc. solemniter celebrante vel Sacramento in Processionibus deferente.

22) Dignitates, Canonici, Rectores in Processione SSmi Corporis Christi sacris Indumentis amicti Mitram manu deferant nec eadem caput operiant.

23) Praeterea reliqua omnia, quae non sunt privilegio expressa, ut vestita censi debent.

24) In Missis privatis quoad Indumenta, Caeremonias, Ministros, altaris ornatum, a simplicibus Sacerdotibus non differant: sumant proinde sacras Vestes in Secretario, non *utantur cruce pectorali*, unico Ministro contenti sint,*) non sibi velint aquam ministrari cum pelvi et urceolo et duo tantum candelae luceant in altari.

25) Defuncti nequeunt in loculo efferri nec tumulari cum Mitra.**)

26) In eorundem funeribus seu anniversariis super tumulo erigi solito non apponatur Mitra.**)

27) In Insigniis seu Stematibus Familiae Mitra non apponatur, nisi solo in casu, quo expresse concessum sit in Literis apostolicis.

28) Quod si super praemissis aliquod exoriatur dubium, hoc ad Sacram Congregationem deferatur, quae pro qualitate dubii providebit.

Si quae vero Capitula amplioribus ac praeter hujusce decreti instituta privilegiis se aucta fuisse arbitrentur, peculiariter haec jura in S. Congregationem perpendenda deducant, ut, quod e canonicarum Sanctionum praescripto visum fuerit, opportune decernatur.

De quibus omnibus facta per me infrascriptum S. R. C. Secretarium relatione SSmo Domino Nostro, eadem Sanctitas Sua cuncta in hoc decreto sancita benigne adprobavit atque in

*) Vd.: *Missa privata Dignitariorum etc.*

**) Cf.: *Mitra; Tumulus.*